

1.
Q. F. F. Q. E. J. D. O. M.
DISPUTATIO PHILOSOPHICA

Expendens Qvæstionem:

AN

PHILOSOPHIA FE-
LICITATEM

Qvoque

ÆTERNAM RESPICIAT?

Qvam,

*Adprobante Amplissimo Ordine Philosophico in Regia ad Au-
ram Academia,*

Publice ventilandam sistit

Mag. MARTINUS GRÅÅ,

Lector Scholæ Cathed. Ab.

RESPONDENTIE

ERICO WALLENIO,

Borea Fenn.

Ad diem, si Deo visum fuerit, 28. Apr. A. 1749.

loco horisque ante meridiem solitis.

ABOÆ, exc. Joh. Kiæmpc, R. Acad. Typ.

Sic R^æ M^{it}is
Regniqve Sveo Gothici
Summæ FIDEI VIRO

&
SENATORI,

Nec non

Aulæ Regiæ Supremo MARESCHALLO,
Illustrissimo Excellentissimoque Heroi
ac BARONI,

D^N. SAMUELI
AKERHIELM,

MUSAGETÆ SUMMO.

Si quid in rebus humanis est, quod regni siue rei publicæ
certe quam maxime hoc, si viri cordati, rerum qua-
more capti & denique gratia in humiles & depressos inclysæ,
Graeciam, Quinti, Fabii & Ciceronis moderamine Romani,
testantur annalium scriptores. Gaudet, lactatur & exsub-

S:æ R:æ M:tis
Regniqve Sveo • Gothici
Summæ FIDEI VIRO

&
SENATORI,

Nec non
Academix Aboënsis CANCELLARIO,
Illustrissimo Excellentissimoque Heroi
ac BARONI,

DN. O L A V O
CEDERSTRÖM,

MUSAGETÆ SUMMO.

*eam alienius portendat atque præfagiat felicitatem & florem;
rumenque scientia & sapientia subacti, æqui & iusti a-
ad gubernacula sedeant. Ita Lyeurgi & Solonis institutis
aliorum Prudentia alias respUBLICæ longe plurimas floruisse,
tas Specia, alma nostra & suavisissima patria, Vos, gentis
nostræ*

nostrae Lycurgos, Solomes ac Cicerones, moderaminis sui o-
 neri Vestros subdidisse humeros: Unde non potest non fausta
 quaevis & prospera sibi ominari, praedicere atque promitte-
 re. Illuc etenim omnis vitae Vestrae tendit ratio, ut patriae
 atque republ. nostrae inserviendo, Condularum instar, lu-
 cem circum circa diffundentium, consumamini. Idcirco is est
 Cellissimorum Nominum Vestrorum splendor, ea virtutum be-
 roicarum lux, id denique gloriae fastigium, ut non possint
 non quorumvis animi & oculi hinc percelli & ad Vestri ve-
 nerationem & admirationem permoveri. Hae Ustrae heroi-
 cae Virtutes, & in primis gratia vestra incomparabilis, quam
 partim dudum summo cum emolumento percepi, partim me
 in posterum percepturum spero, fiduciæ mihi addunt, Vos,
 Musagetæ Summi, clementissime esse passuros obscuras has
 lucubratiunculas splendidissimis Vestris Nominibus illustrari,
 & auctorem earum humilem atque depressum Clementiæ Ve-
 strae esse commendatissimum: qui usque ad vitæ finem ar-
 densissima pro tantis regni nostri fulcris ad Deum fusurus
 est suspiria.

**ILLUSTRISSIMORUM & EXCELLENTISSIMO-
 RUM NOMINUM VESTRORUM.**

Subjunctissimæ clientæ
 ° °
MART. GRÆA.

S:æ R:æ M:tis
MAGNÆ FIDEI VIRO;
REVERENDISSIMO DOMINO,

D. JONÆ FAHLENIO,

S. Theologiæ DOCTORI maxime Incluto, diœceseos
Aboënsis EPISCOPO & Academiæ Auricæ PRO-
CANCELLARIO Eminentissimo. Summe Vene-
randi Consistorii Ecclesiastici PRÆSDI Gravissimo,
Scholarum per Diœcesin EPHORO Accuratissimo.

MÆCENATI MAGNO,

Mitissimum Tuum, Reverendissime Praesul, & mere Prae-
sertinum in ecclesiasticis moderamen sibi magnopere gra-
sulatur Fenningia nostra, & se hinc non parum felicem pra-
dicat; nec certe sine causa; tanta enim est tua in omnes &
singulos gratia, tanta in rebus quibuscunque aequitas ac ju-
stitia, tanta aliarum Tuarum virtutum eminentia, ut vel
inviti quilibet ad Te avertunt, venerandum & colendum
paritas

pertrabantur. Hanc Tuam, Eminentissime Praesul, gratiam
& benignissimam propensionem in me quoque collatam iam
dudum sum expertus, & quidem ita abunde, ut non potu-
erim non dolere, meas tam tenues esse vires, ut ne vel mi-
nimum quidem grati animi documentum in medium proferre
valuerim unquam. Haec Tua, Maecenas Maxime, gratia
mibi etiamnum spem facit certissimam, Te non indigne latu-
rum, quod exiles hae nostrae lucubrationes splendido Tuo No-
mine superbire audeant. Hoc, & alia, cumulatissime mihi
praestita beneficia, imis semper infixae erunt medullis, & si-
ne intermissione Summum Numen supp'lex implorabo, velit
clementer Venerandae Tuae Cavities vigorem, annis jam in-
gravescentibus diuturnitatem, & toti vitae Tuae felicitatem,
quotidie magis magisque efflorescentem addere! Scra sis illa
dies, qua dioecesis, grex ille Christi, Nobilissima Tua Fami-
lia, clientes & omnes denique boni, Tanti Fulcri atque Co-
lumnæ luceant discessum!

REVERENDISSIMI EPISCOPI & PROCAN-
CELLARI

Mumidimus eliens

MARI. GRÆA.

CONSPECTUS.

- §. I. De Philosophia paucis disserendo viam dicendis pandit.
- §. II. Antiquorum philosophandi rationem & dogmata nonnulla profert.
- §. III. Recentiorum philosophandi modum antiquo praefert & definitionem tradit.
- §. IV. Ulterius quid per philosophiam intelligamus, explicat.
- §. V. De felicitate hominis agit.
- §. VI. Homines saepe felicitatem in rebus veram felicitatem non parientibus, queritare, indicat.
- §. VII. & VIII. Vera felicitate in rebus caducis non inventa, quo se tum vertat homo, ostendit, & se tam infelicem ac nunc est, a Deo non esse productum, comprobat.
- §. IX. Ad felicitatem nos conditos esse affirmat.
- §. X. Idem ulterius prosequitur.
- §. XI. Ex anima immortalitate, philosophiam respicere felicitatem aeternam, concludit.
- §. XII. Idem e rerum in hoc mundo obvia aeternitate Batuminat.
- §. XIII. Ex operibus Dei ad ipsam causam,
- sam,

sam, & conjunctionem cum ea quarendas, hominem inflammari, adstruit.

§. XIV. Ex antiquorum philosophorum effatis monstrat, res eos a nostra multum discreto passe sententia.

§. XV. Quam necessarium sit discrimen inter naturam & gratiam, & quantum mali ex harum confusione oriatur, exponit.

§. XVI. Quis locus rationi in articulis fidei considendus sit, breviter declarat.



I. N. 7!

§. I.

Multi licet exstiterint nullo non tempore philosophiæ osiores ac rosiores, qui, etiam summis convitiis proleudentes, non modo damnosam & pestiferam, sed etiam ex orco profectam affirmando, pessundatum ire, impudenter ausi sint; illam tamen, ut singulare Dei donum & depositum inæstimabile, venerandam & in usum nostrum convertendam esse novimus; tantam inde in quovis statu utilitatem percepturi, ut vix aliunde majorem. Hac namque duce & comite, percipimus quid honestum sit, quid turpe, quid justum, injustumque, quid affectandum, quid averſandum, quomodo nos adversus Deum, nos ipsos & alios homines gerere debeamus. Hæc, discussis & expulsis ignorantæ

A

2
gnorantiæ tenebris, oculos mentis illustrat; voluntatis pravitatem emendat; animum, ad mala quævis propendentem, ad virtutem revocat, & nos ad meliora semper, quantum in se est, erigit. Iure igitur meritoque cum Rom. eloquentiæ parente exclames: *O vita philosophia dux! O virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum! quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? . . . Tu inventrix legum, Tu magistra morum & disciplina fuisti: Tu vita tranquillitatem largita nobis es, & terrorem mortis sustulisti.* (a) Nemo igitur est, qui non videat, vitam nostram, philosophiæ lumine destitutam, miseram prorsus esse, & felicitatem ex hoc fonte promanare non exiguam. Quum itaque in aprico positum sit, philosophiam ad felicitatem nostram temporalem tam ingens tribuere & conferre momentum; operæ pretiam esse duxi, pro modulo ingenii paucis inquirere, an etiam æternam nostram felicitatem respiciat? sive: an philosophiæ quoque finis ultra hanc vitam extendatur? Quod dum brevissimis fecero, tanto mitiorem & faventio rem abs Te, C. L. expeto &

cxo

(a) Cic. Tuscul. Quest. 5.

3
expecto censuram, quanto innocentiores hi mei
sunt conatus & lucubrationes, quantoque diffici-
lius & magis arduum est hoc exploratu & expli-
catu argumentum.

§. II.

INtricaram hanc & a paucis antea, quantum
quidem nobis videre contigit, motam quæstio-
nem, quomocunque extricaturi, primum indi-
cabitur, quid nomine philosophiæ intelligamus.
De etymologia ejus, utpote rudioribus etiam sim-
plicioribusque satis nota, nihil nunc solliciti, paucis
tantummodo notamus, vocem hanc nostram
olim *σοφία* nomine venisse, & ei operantes
σοφιστæ esse dictos; postmodum autem a Pythago-
ra Samio, vel per modestiam, vel per super-
biam, hanc factam esse mutationem, ut illa
philosophia, hi vero philosophi dicerentur.
Quam denominationem, utpote ab arrogantia
suspensione & nota alienam, ad hæc nostra us-
que tempora servatam voluerunt eruditi. Anti-
qui sua quidem laude, in hoc studii genere pro-
merita, non sunt fraudandi; horum tamen alii
dogmata sua litteris hieroglyphicis, involucris
& nescio quibus integumentis & obscuritatibus

intricarunt & implicarunt. Quemadmodum Ægyptii perhibentur, ut verbis utar Gentzkenii, (b) sub animalium, membrorum animalium, figurarum mathematicarum, aliorumque corporum naturalium simulacris, maximæ hominum multitudini prorsus penitusque ignotis, suam occultasse sapientiam. Sic leo fortitudinem, nodus necessitatem, circulus æternitatem, manus contracta avaritiam, nycticorax mortem, musca impudentiam &c. significabant. Alii mundi materiam semper existuisse; demones corporibus gaudere; ignem esse colendum; stellas esse vel beneficas, vel maleficas, vel communes; actiones & vitam nostram pendere a stellis; varias dari divinationum artes per aves, somnia &c. statuebant. Alii duo dari principia, alterum boni, mali alterum; hæc bellum inter se gerere; quædam a bono, quædam a malo Deo esse producta; elementa, sidera, cælum, solem & ignem pro diis esse colenda. Alii aquam mundi principium; animas ab uno corpore in aliud migrare; mundum periturum & rursus renovatum iri, finxerunt. Alii alius irritis, frivolis ac nihil profuturis

(b) *Hist. Philos. Cap. 2, p. m. 14.*

ris speculationibus omne consumserunt ævum, & aliaque sanæ philosophiæ contraria, absurda & in Majestatem Divinam impia foverunt & ebuccinarunt doctrinarum monstra, rectæ rationi ridenda.

§. III.

Magnopere vero nobis nostrum gratulamur Memundioris ævum! utpote quod vana, falsa ac impia averfari, rejicere, & damnare, vera autem, honesta & bona quævis adoptare, ea assidue excolere, & in usum suum convertere, edoctum, longe cautius & sapientius mercari sciat. Multi namque excellentissimi nostræ ætatis viri, rem quamlibet veris ac genuinis suis coloribus pingendo, atrum atrum & album albi nomine appellando, ac rerum naturas penitus scrutando, multaque oblecta retendendo, dispulsis istis tenebris, summam & lucem & usum erudito attulerunt orbi. Horum igitur vestigia, licet non passibus æquis, lecturi, per philosophiam, cum Celeb. Buddeo, utpote ad nostrum institutum maxime applicabili, intelligimus rerum divinarum humanarumque notitiam, prout ductu rectæ rationis cognosci possunt, ad veram hominum felicitatem

licitatem aut acquirendam, aut conservandam, comparatam.

§. IV.

INtelligimus, inquam, heic loci philosophiam, non in concreto & secundum existentiam, prout apud hanc vel illam sectam floret, apud hunc vel illum philosophum residet, in hoc vel illo libro continetur: siquidem in hac significatione accepta vox philosophiæ multa incerta, erronea & a veritate aliena continere & complecti potest. Sæpe namque evenit, ut veri similia pro veris, ac probabilia pro certis assumantur, & ex his aliæ veritates lubrico admodum nixæ fundamento, eruantur, una cum suo fundamento propediem collapsuræ. De hac opinionum proficientis adoptione, & inde profuente ac redundante damno Megalander hunc in modum nervose locutus esse perhibetur; (c) *Virgilius facit multos poëtas malos; Philippus multos malos dialecticos. O doxa, doxa, quam es communis noxa!* Sed philosophiam hic indicatam volumus in abstracto & secundum essentiam, qualis nimirum in se & sua natura est, nullis præjudiciis,

error

(c) *Wachii Lex. Philos. p. 1767.*

erroribus ac depravationibus corrupta; nec vanis altercationibus & sophismatibus dedita; sed veris, firmis ac solidis fundamentis superstructa; cujus singulae propositiones, dictamina ac praescripta cum re ipsa accurate concordant; quae dogmata proponit insignem vitae nostrae utilitatem allatura, & felicitatem nostram veram vere ac certe promotura.

§. V.

Felicitas autem hominis est vel temporalis, vel aeterna. Illa est complexus bonorum, quorum homo hac in vita particeps iis latus perfruitur. Haec est voluptas non desitura, ex constanti & nunquam interrumpenda summi boni fruitione, resultans. Confunduntur autem a multis summa felicitas & summum bonum, quae tamen omnino sunt distinguenda. E summi namque boni possessione & fruitione demum summa existit & profluit felicitas. Illud igitur huius est causa, haec vero illius quasi effectus & consequens. Haec tamen notandum est, felicitatem quidem veram temporalem in hac vita dari, sed non absolute perfectam & stabilem. Quis enim est, qui non videat, eam variis casibus non

raro

raro interrumpi? modo namque nostra ipsorum aut incuria, aut imbecillitas, ad varias animi commotiones ac perturbationes prona, in transversum nos abripit; modo aliorum hominum malitia, modis quibuscumque statum nostrum tranquillum ac felicem turbat; modo alia hinc inde obvia mala variis modis eum vexant atque infestant. Proinde felicitas absolute perfecta & sine intermissione duratura in altera demum vita est expectanda.

§. VI.

VERUM enim vero, maxima hominum multitudo, pro varietate inclinationum & propensionum in rebus caducis & opinione citius perituris summum suum querit bonum & felicitatem, imaginariam potius quam veram. Alii nimirum tanta flagrant cupiditate habendi, ut in divitiarum affluentia se felicissimos fore arbitrentur. Alii usque adeo laudis, honoris & gloriae tabescunt siti, ut se infelices prorsus existiment, nisi ad ejus perveniant fastigium. Alios denique ita abripit voluptatum amor & desiderium, ut in harum coeno porcorum instar sine intermissione voluptati, sese felicitate nemis

ni æstiment secundos. Sed prave prorsus atqve perversè. Hæc enim nec vitæ securitatem, nec sanitatem vel animi vel corporis, nec tranquillitatem mentis, promovere, atqve ita nullam veram voluptatem sive gaudium afferre possunt. Nam ubi, quæso, deprehendes tantam divitiarum abundantiam, ut animæ immortalis, & bonis incorruptibilibus inhianti, satis esse queat? Quæ corporis illecebræ & voluptatum titillationes ac blandimenta tam dulcia, ut eam saturare valeant? Quod demum honoris ac dignitatis culmen tam altum, ut anima ei acquiescere possit, nihil ulterius desideratura? His certe singulis in toto hoc universo frustra quærendis, & operam & oleum perdideris.

§. VII.

QUum igitur in hujusmodi caducis, ac nullam veram, sed fallacem tantum felicitatem parientibus rebus, anima sedari & acquiescere non possit; ulterius progrediendo nobilioribus immet speculationib⁹ ac præstantiorib⁹ delectatur bonis. Veræ enim philosophiæ ope, se nimirum suamqve naturam considerando, cernit, se, cancellis valde angustis circumscriptam, & vi agendi independente

dente destitutam, a se ipsa existentiam suam non habere, nec se tale quid producere posse, sed majoris alicujus extra nos existentis potentiae & voluntatis esse opus. Atque ita se aequae ac alia cuncta ab ente unico independente, infinito, sempiterno ac summo, quod nos Deum vocamus, originem ducere ac dependere. Qui ipse omnes perfectiones eminenti quodam modo possidet, & potest suam majestatem innumeris rationibus nobis aperire: homo vero in ipso se nullam existentiae suae sufficientem reperire potest rationem. His igitur hunc in modum exploratis, ulterius progreditur & inquirat philosophus, an ab hoc Summo Numine tot malis, arumnis ac vitiis infectus & obnoxius productus sit, quot & quantis sese in hac vita expositum esse videt. Hanc autem impiam de Clementissimo, Sapientissimo & Optimo Numine, ut foveat cogitationem & opinionem, tanto minus permoveri potest, quanto firmiores adsunt rationes contrarium sentiendi & statuendi.

§. VIII.

Primo namque haec sententia ipsi Conditori
ejusque

ejusque perfectioni & attributis repugnat. Quem-
 admodum enim sol, lucidissimum & splendidi-
 simum illud mundi corpus, contra naturam
 suam obscuritatem & caliginem producere, &
 fons purus ac limpidus aquam impuram ac tur-
 bidam protrudere & ebullire non possunt; ita
 ab ipso hujus universi Creatore, utpote omni-
 um bonorum fonte ac scaturigine inexhausta,
 nihil mali, nihil vitiosi produci potuit: siquidem
 cunctis suis operibus majestatem, perfectionem &
 bonitatem suam oculis quasi nostris subjicere, &
 nos ad se contemplandum, venerandum &
 admirandum movere & pertrahere voluit. Ut
 nimirum ad ipsum, ceu omnium expectandorum
 ultimum & potissimum, ductu & impulsu naturæ
 feramur; ipsum, utpote omnis cognitionis aucto-
 rem & datorem nobis cognitum reddamus; ei
 ut potentissimo nos submittamus; ab illo, ut sa-
 pientissimo veram expectamus sapientiam; il-
 li, ut invincibili nos totos defendendos &
 tutandos commendemus; illum, ut omnis bo-
 ni fontem ex intimo pectore amemus ac cele-
 bremus; & tandem in ipso, ceu omnium bo-
 norum perfectionumque complexu acquiescamus
 & gaudeamus. Quod si aliter factum esse dixe-

ris, naturæ ejus bonitatem & perfectionem negando, ipsum cæco impetu ad opera sua edenda ruere, non sine calumnia summa asserueris. Pari ratione sapientiam ejus, utpote quæ a proposito suo, quod non potuit non bonum esse, aberraverit, assertionem istam sustuleris. Ulterius in dubium vocaveris veracitatem Dei, qui figmentis quasi & apparentibus tantummodo bonis hominibus imponat; misericordiam & bonitatem, quasi ut torqueret, homines condidisset; atque sic singula fere ejus attributa & perfectiones summas impudenter & impie prorsus infirmaveris; immo ipsam Deitatem, horret animus rei tam indignæ cogitatione, negaveris.

§. IX.

PRoinde ex his singulis prona fluit consequentia, Deum nos pravos, vitiosos & infelices, quales nunc sumus, non produxisse; verum ad felicitatem non modo hujus, sed & futuræ vitæ perfruendam clementissime destinasse. Probatum hoc ipsum ulterius, præter illa quæ jam allata sunt, ex insatiabili illo, quod nobis inievit ac indidit infiniti desiderio; quod ejus est indolis, ut homo in se nihil quidquam depre-

deprehendat, quo tranquillari & satiari queat: sed in objectis extra se positis illud quærendum esse perspiciat. Ast in rebus ejusmodi caducis ac perituris, quarum mentio §. 9. est facta, illud tanto invenitur minus, quanto certius constat, nec in ipsa anima, quæ tamen immortalis & incorruptibilis est, quidquam tale reperiri. Vita etenim nostra, objectis hujusmodi satiantibus & desiderium nostrum sedantibus destituta, continua quasi est fames & appetentia. Nec certe alia esse potuit conditio hominis: nam si felicitatem & beatitudinem in se ipso possideret completam, non jam ulterius ab alio ente superiore dependeret, atque sic nec creatura, sed ipse creator esset.

§. X.

Idcirco ulterius tendendo tale quid anquirat, quod ad famem hanc restringendam & inquietudinem pacandam aptum sit: ut nimirum talium objectorum fiat compos, quæ post mortem animæ sint præsentia, eamque perpetuo contentam reddant. Et hæc fames, sive hoc desiderium aperte comprobat, nos, non ad fruitionem rerum terrestrium & corruptibilium, sed
ad

ad vitam possidendam esse conditos, quæ in ipso Deo & rebus æternis est indaganda & obtinenda. Videntur quidem nonnulli sibi suam, obtinuisse felicitatem in hujus temporis vanitatibus; mortem tamen isti unaquaque hora contremiscendo in perpetua vivunt servitute, inde non liberandi quamdiu ad perversum hunc modum hujus lucis fruuntur usura. Datur etiam hic mortis metus apud atheos, quibus, summo opere licet sibi persuadentibus & animum in eam sententiam obfirmantibus, quod omnis vita, desiderium & sensus cum hac hujus temporis vita sint desitura, conscientia tamen sine intermissione reclamans quietem adimit omnem.

§. XI.

ET hic ipse metus mortis, conscientia mortis, tremor & angor æque ac aliæ rationes luculenter animæ nostræ immortalitatem comprobant. Si præterea, ipsam ejus naturam respexerimus, eam talem esse deprehendemus, ut nullum destructionis & corruptionis principium in se contineat: quandoquidem substantia est spiritualis, simplex, omni prorsus materia destituta, atque sic corruptioni obnoxia nulli.

Si vero a corruptione, utique etiam ab interi-
tu sive morte est immunis. Quod si autem,
Deum ejusque voluntatem respexerimus, nec
in ea ullam destruendæ animæ rationem expi-
scabimur. Videretur namque cum bonitate Di-
vina vix ac ne vix quidem conciliari posse, si
hominem in hanc miserarum vallem & barathrū
torquendum detrussisset, nec ulla meliori vita
postmodum beandum. Frustra quoque ipsi in-
didisset desiderium illud insatiabile infiniti, de
quo egimus §. §. 9. & 10, quo hoc in mundo
tenetur, & se adversus calamitates quascunque
consolatur, erigit & obfirmat; ubi tamen con-
stat Deum & naturam nihil facere frustra. Ex
hac itaque animæ brevissimis confirmata & evi-
cta immortalitate, nostra corroboratur & confir-
matur sententia, nimirum philosophiam etiam
respicere felicitatem æternam.

§. XII.

Nec porro exiguum sententiæ nostræ addit
robur & stabilimentum rerum in hoc mun-
do obvia & conspicua *ἀρχαία*. Heic namque cer-
nimus malis sapissime bene esse, & homines
pravos atque perversos ita omnium rerum succes-
su

lu florere, ut calamitatem & arumnam perseve-
 rificent nullam; probi vero & pii cum quocun-
 que adversitatum genere ita conflictantur ple-
 rumque, ut raro & difficulter admodum inde
 emergere queant. Sunt nimirum hi tota die
 illorum odio, ludibrio & persecutioni usque
 adeo expositi, ut sine intermissione ingemisce-
 re cogantur. Hinc igitur ad hujus universi mo-
 deratorem compulsi, ipsius considerata exqui-
 sitissima & rigidissima justitia, firmiter & certo
 concludunt, ipsum non toleraturum, ut hæc
 ita sine fine se habeant; sed aliquando prava
 quævis vindicaturum & bona ita remuneratu-
 rum, ut nulla ipsis relinquatur causa de inju-
 ria sibi illata querendi. Novit, inquam, ratio,
 vi hujus justitiæ divinæ, nihil immune boni
 bonis, nihil impune mali malis futurum. Quum
 itaque hæc in hoc mundo non fieri, videat,
 alium aliquando fore statum, in quo ista singu-
 la ad vivum sint resecanda, atque sic aliam
 futuram esse vitam, & eam quidem hæc
 multis parafangis felicior, sine ulla hæsitantia
 & sine formidine oppositi deprehendit,

§. XIII.

PRæterea homo, cognito hoc vel illo effectu, ductu naturæ trahitur ad explorandam & cognoscendam ipsam ejus causam, utpote quam effectu longe nobiliorem esse non ignorat. Quum igitur ex operibus & effectibus non parum commodi & delectamenti sibi contingere cernat; quanto magis & copiosius se bona quævis ab ipsa causa percepturum esse, non male colligit. Hanc vero causam nullam aliam quam ipsum Deum esse, perspicit; idcirco desiderio illius cognoscendi & sibi quam proxime uniendi, non potest non magis magisque inflammari, haud ignarus conditionem & statum suum hinc permulsum promotum iri. Modum vero sive rationem se cum Deo uniendi & eo perfruendi, licet evidenter non percipiat; aliquatenus tamen intelligit solam ipsius cognitionem heic non sufficere, sed ulterius esse tendendum. Hæc namque tantum abest, ut animo tranquillitatem afferat, ut potius cupiditatem injiciat arctiorem cum eo conjunctionem & combinationem indagandi & inveniendi. In mediis itaque ad hanc unionem & conjunctionem commodissimis quærendis occupa-

tus quodammodo tandem animadvertit amore aptius haud dari ejus obrinendæ ullum. Quenadmodum autem novit sui æque ac omnium aliarum rerum conditorem & auctorem essentia esse purissimæ, & ab omni omnino labe liberissimæ; ita nec ignorat sibi puritati summopere studendum, & amorem quo ipse amplectendus, defæcandum, sequæ totum, quantum scilicet in hac mortalitate fieri potest, ad ipsius similitudinem componendum esse; ne se vitis scaten-tem Creatoris sanctitas detestetur, ac conjunctionem hanc expetitam respuat. Verum enim vero animadvertit tandem indelebilem suam ad prava quævis propensionem & inde eluctandi impotentiam summam, obicem ac remoram desideratæ huic conjunctioni opponere insuperabilem; ideo in conatu & nisu isto subsistere & defetiscere coactus, alia emergendi media sollicitè circumspicit.

§. XIV.

EX his igitur omnibus conficitur & dispale-
scit philosophiam veram, vivam & effica-
cem omnino respicere felicitatem æternam; sed
hanc tamen ejus beneficio non obtineri: ideo

nos heic de fine intento, non vero obtento locutos esse, constat. Philosophiam diximus vivam, qua animus permovetur ad veritates cognitatas amplectendas, & ad verum ac debitum usum applicandas. Efficax autem tum est, quando secundum veritates has re ipsa actiones & vita instituuntur. Proinde etiam multi gentiles philosophi præclare de philosophia senserunt, & non admodum ab his nostris diverfa & aliena locuti sunt, ut Seneca hunc in modum verba faciens: *(d) philosophia non est populare artificium, nec ostentationi paratum: non in verbis, sed in rebus. Nec in hoc adhibetur, ut aliqua oblectatione consumatur dies, ut dematur otio nausea: animum format & fabricat, vitam disponit, actiones regit, agenda & omissenda demonstrat, sedet ad gubernaculum, & per ancipitia fluctuantium dirigit cursum.* Alii philosophiam μελέτη θανάτου, i. e. meditationem mortis esse statuerunt, atque ita recte philosophari non esse aliud quam continue mortis meditationi incumbere & invigilare. Alii ὁμοίωσιν τῷ θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν ἀνθρώπων, assimilationem Dei quatenus homini possibilem, ul-

timum philosophiæ finem esse asseruerunt, & hujus obtinendæ gratia philosophiam esse comparatam; huic antequam debere, veluti media, cognitionem ac purgationem sui ipsius, conversionem in se ipsum, & denique ascensum seu arctiorem cum Deo unionem. Alii ex confusa vitæ futuræ cognitione campos elysios & varia alia oblectamentorum genera piis, impiis vero molestias & tormenta plurima post hanc vitam assignarunt. De Anaxagora tradunt, eum cuiusdam, quod nulla patriæ tangeretur cura, exprobranti, respondisse: mihi utique patriæ cura, & quidem summa est, digito cœlum monstrans. Et sic deinceps alii.

§. XV.

ATque sic breviter Iustravimus, quo usque naturæ vires in hisce progredi valeant. Faciemur eque discrimen inter naturam & gratiam, rationem & revelationem, arduum satis, sed juxta quoque valde utile & necessarium esse. Illo enim neglecto aut ignorato, cum in vita, tum doctrina Christiana confusio existit maxime noxia. Nam facili tum negotio ea revelationi & inspirationi divinæ tribui

tribui & adscribi possunt, quæ a rationis profuunt viribus, aut vicissim imputari naturæ, quæ a Spiritu Sancto originem ducunt; unde in securitatem, fastum spiritualem, naturalismum, pelagianismum, fanaticismum & alia doctrinarum monstra facilis est prolapsio. Idcirco magnopere miramur viros quam plurimos, eruditione non exigua instructos, hoc in momento foedum prorsus in modum offendere & hallucinari: & quidem ita, ut non pauci in excessu peccent, & sese rationis idololatras quasi sistant, contendendo veritatem principiorum rationis aut præferendam revelationi, aut saltem ejusdem dignitatis & auctoritatis æstimandam & censendam esse. Immo eo vesaniæ prolabuntur nonnulli, ut perexigua & tenella rationis suæ bolide profundissimas & abstrusissimas quasvis divinarum mysteriorum abyssos expiscari & rimari non reformident. Hinc etiam non paucos fidei articulos ideo tantum falsitatis arguunt ac respuunt, quod a rationis ipsorum dictaminibus discrepent atque dissentiant.

§. XVI.

Hic tamen summiopere cavendum, ne in alterum prolapsi extremum, in defectu ita peccemus, ut omnem rationis usum in fidei articulis ducamus exterminandum, & simul nos ipsos beluis ac truncis, quam hominibus, reddamus similiores. Quemadmodum autem fidei articuli vel puri sunt, vel mixti; ita in utrisque horum aliquis ratiociniis concedendus est locus: attamen hujusmodi cum discrimine, ut in his rationis dictamina, testimonia & suffragia audiri & admitti queant, quamdiu scilicet intra suos se continent cancellos, revelationis moderamini se subiciunt, obsequuntur & sese doceri & corrigi patiuntur: utpote cui horum plena & perfecta cognitio sit adscribenda, & cui soli fides indubitata applicanda. Neque ex articulis fidei puris omnis relegandus est rationis usus: hoc namque sublato, nihil in scripturis traditum & inculcatum rite demonstrare, conclusiones e principiis deducere, veritatem cœlestem contra prævæ rationis insultus defendere possumus. Quibus in negotiis pulcherrimam Theologiæ operam.

ram præstat philosophia. Constat præterea multa dogmata *κατὰ συναινεσθῆναι* sive per bonam consequentiam ex scripturis erui, quod absque rationis usu fieri posse, absurde dixeris. Tribuendus igitur in his ministerium, non vero magisterium rationi, utpote quæ inestimabile Dei donum sit quamdiu extra oleas non vagatur; ubi autem se proterve gerere, sibi nimium vindicare & sese efferre cœperit, ejicienda

Hagar ista cum suo filio.

Soli Deo Gloria.



